Brown (F. F.)

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

OPHTHALMIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

FRANCISCUS FFRYE BROWN,

ANTIGUENSIS,

Societ. Reg. Med. Edin. Soc. Extr.

Chirurg. Colleg. Londin. Soc.

"*Quae laedunt oculum, feſtinas demere.*"

HORAT.

LIBRARY

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCV.

VITRICO,

NATHANIELI MERCHANT,

IN

ANTIGUA

MEDICINAM

FACIENTI;

HANC

DISPUTATIONEM,

PERTENUE

GRATI ANIMI

SIGNUM,

SACRAM

ESSE

VULT

PRIVIGNUS,

F. F. BROWN.

DISPUTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

OPHTHALMIA.

PROŒMIUM.

§ 1. ECQUID oculis artificiosius, ecquid pulchrius, ecquid utilius, ecquid demum exquisitius finxit et fabricata est Natura? Quantam partem ad vitae simul et usum et dulcedinem conferunt? Nam in capite, tanquam in arce, mirificè collocati, altissimum locum obtinent; ex quo, tanquam speculatores, plurima

conſpicientes, nobiliſſimo ſuo munere, et nunquam ſatis mirando, funguntur.

II. 1. Liceat, hac de re, CICERONIS verba tam elegantèr, concinnè, et aptè expreſſa citare. ‘ Quis verò opifex, praeter naturam, quâ nihil ‘ poteſt eſſe callidius, tantam ſolertiam perſequi ‘ potuiſſet in ſenſibus? quae primùm oculos ‘ membranis tenuiſſimis veſtivit, et ſepſit: quas ‘ primùm perlucidas fecit, ut per eas cerni poſ- ‘ ſet; firmas autem, ut continerentur. Sed lub- ‘ ricos oculos fecit, et mobiles, ut et declinarent, ‘ ſiquid noceret; et aſpectum, quò vellent, fa- ‘ cilè converterent. Acieſque ipſa, qua cerni- ‘ mus, quae pupula vocatur, ita parva eſt, ut ‘ ea, quae nocere poſſint, facilè vitet. Palpebrae- ‘ que, quae ſunt tegmenta oculorum, molliſſimae ‘ tactu, ne laederent aciem, aptiſſimè factae et ‘ ad claudendas pupulas, ne quid incideret, et ad ‘ aperiendas: idque providit, ut identidem fieri ‘ poſſet cum maxima celeritate.

‘ 2. Muni-

‘ 2. Munitaeque ſunt palpebrae tamquam val-
‘ lo pilorum: quibus, et apertis oculis, ſi quid
‘ incideret, repelleretur; et ſomno conniventi-
‘ bus, cùm oculis ad cernendum non egeremus,
‘ ut qui, tamquam involuti, quieſcerent. Latent
‘ praeterea utiliter, et excelſis undique partibus
‘ ſepiuntur. Primùm enim ſuperiora, ſuperci-
‘ liis obducta, ſudorem à capite, et à fronte deflu-
‘ entem repellunt. Genae deinde ab inferiore
‘ parte tutantur ſubjectae, leviterque eminentes.
‘ Naſus ita locatus eſt, ut quaſi murus oculis in-
‘ terjectus eſſe videatur *.’

III. 1. Quantis quàmque praeclaris uſibus in-
ſerviunt oculi? Primùm enim ‘ in iis artibus,
‘ quarum judicium eſt oculorum, in pictis, fictis,
‘ caelatiſque formis, in corporum etiam mo-
‘ tione, atque geſtu multa cernunt ſubtiliùs. Co-
‘ lorum etiam, et figurarum tum venuſtatem,
‘ atque

* Vid. Cic. *De Natur. Deor.* Lib. II. Cap. LVII. Edit. Jac. Gronov. Lugdun. Batav. Ann. M,DC,XCII.

‘ atque ordinem, et, ut ita dicam, decentiam,
‘ oculi judicant: atque etiam alia majora.
‘ nam et virtutes, et vitia cognoſcunt: iratum,
‘ propitium: laetantem, dolentem: fortem, ig-
‘ navum: audacem, timidumque cognoſcunt *.’

2. Quinetiam, oculis miniſtris, nos campis, nos lacubus, nos montibus, nos pratis ridentibus, nos frondeſcentibus ſylvis fruimur: nos ſolis, lunae, aſtrorumque ortus, curſus, obituſque contemplamur: nos excelſas turres, et praeruptas rupes, atque mare jam tranquillum, jamque procellis aſperum luſtramus.

IV. Cùm oculorum ope, tantâ tamque variâ moveamur dulcedine, ſummâ curâ tuendi ſunt; eòque magis, quòd ingentibus et variis undique caſibus interdiu noctuque patent. Modò enim laceſſunt beſtiolae; modò, euro auſtrove ſpirante, irruit commotus pulvis; modò fumus, modò

* Vid. Cic. *De Natur. Deor.* Lib. II. Cap. LVIII.

modò lux ipſa offendit: imo etiam, his aliiſve cauſis inflammationem haud rarò capiunt, qua viſus interdum hebetatur, aliàs penitùs deletur.

V. Hac oculorum (IV.) inflammatione, unde tantum haud rarò detrimenti viſus capiat, nobis, ſummos medicinae honores ritè ſolenniterque petituris, nihil dignius videbatur, de quo diſputaremus.

VI. Hanc (V.) rem perſequendo, primùm, ubi orbis terrarum, qua aetate, et quo anni tempore, oculos potiſſimùm afficiat inflammatio; tum, ubi ſedem habeat; deinde, quibus notis inſigniatur; pòſt, quibus enaſcatur cauſis, quibuſque modis terminetur; tum, quid eventum expectandum ſit, quidve timendum; deinde, qua ratione curetur; de his ſigillatim, ordine quàm poterimus lucidiſſimo diſſeremus, priùs nomen et definitionem praefati.

NOMEN

NOMEN ET DEFINITIO.

VII. Inflammatio, quam capiunt oculi, a *Noſologis Ophthalmia* appellatur; et a CULLENO, *noſologorum* principe, definitur hiſce verbis;

'*Rubor et dolor oculi; lucis intolerantia; plerumque cum lachrymatione**.'

REGIO, ÆTAS, TEMPUS.

VIII. *Regio.*—Ubique profectò terrarum orbis, inflammationi patent oculi; ubique enim exiſtunt cauſae, quae grave hoc malum concitent. Verùm in quibuſdam tamen, prae caeteris, regionibus, homines oculis plecti ſolent.

IX. 1. Indigenae ÆGYPTII, infelix ſanè hominum genus, qui, dominantibus in eos advenis, grave

* Vid. CULLEN. *Synopſ. Noſolog. Method.* tom. II. Gen. VIII.

grave ſervitium patiuntur, oculis, mirum in modum, laborant. Plurimi, ut teſtatur VOLNEIUS, utriſque oculis capti ſunt; plurimi alterutro; plurimis, denique, alterutrique ſanguine ſuffunduntur, et lippiunt *; adeo, ut dici vix poſſit, utrùm, apud eos, oculorum acies obſcuretur magis, an ingenii lumen.

2. Caeterùm minimè, per totam ÆGYPTUM, ab indigenis aequè lippitur. Huic enim malo, qui maritimas incolunt regiones, quive frugiferam DELTAM, aut foedam colluvie MEMPHIM †, ii, prae caeteris, obnoxii ſunt ‡; dum oculorum integri ſunt ii, qui in mediterraneis regionibus, tam humilibus quàm excelſis, habitant §.

X.

* Vid. VOLN. *Travels through* SYRIA *and* EGYPT *in the years* M,DCC,LXXXIII.-IV.-V. vol. I. page 240. Edit. LONDIN. M,DCC,LXXXVII.

† Hod. GRAND CAIRO.

‡ Vid. VOLN. Oper. ſuprà citat. vol. I. p. 241.-2.

§ Vid. VOLN. vol. I. p. 242.

X. Quinetiam, in maritimis SYRIAE regionibus, incolarum oculi inflammatione perſaepe capiuntur. Caeterùm, ut in ÆGYPTO eſt, oculis rarò laborant incolae, qui loca interiora, procul a mari diſtantia, tenent *.

XI. Porrò, infelices ter et ampliùs AFROS, graviſſima ſaepe oculorum inflammatio tentat; eos autem praecipuè, qui occiduas regiones incolunt oceano proximas.

XII. Non ſolùm gravis eſt inflammatio, quâ capiuntur AFRORUM oculi, ſed etiam interdum peſtifera; ita profectò, ut hominum invicem miniſteriis latè vulgetur †. Itidem inter ÆGYPTIOS quoque vagari, certiores nos facit PROSPER ALPINUS, qui, nonnullos, apud eos, annos, ‘ medicinae cauſa,’ ut ipſe ait, commoratus, de eorum

* Vid. VOLN. vol. I. p. 243.

† Vid. JACOB. ARMSTRONG. Tentam Inaugural. *De Tuenda Nautarum Sanitate.* EDIN. ann. M‘DCC,LXXXIX. page 12.

eorum morbis plurima literis mandavit *. Atque, profectò, haud ſcimus, an etiam per alias interdum gentes graſſetur, quarum incolis familiaris ſit.

XIII. Verùm non in aeſtuoſis ſolùm orbis terrarum regionibus lippitudine afficitur hominum genus: ſed etiam in iis ad polum utrinque vergentibus, imo propinquitate etiam fluminum ac paludium praegelidis; quibus, prae intoleranda vi frigoris, omnia, quotquot oculis percipiuntur, ſive vitalem carpant auram, ſive terrâ ſtirpibus contineantur, diu, ſingulis annis, niveo candore apparent. Quocirca, in ſeptentrionalibus EUROPÆ locis, quae tamdiu quotannis gelu perſtringuntur, niveque albicant, plurimi utriſque oculis capti, caecitate triſtem trahunt ſenectutem, ipſi inopes, amicis onus.

* Vid. PROSPER. ALPIN. *De Medicina* ÆGYPTIORUM, lib. I. cap. XIII.

XIV. *Aetas.*—Ab incunabulis, uſque ad extremum halitum, gravi huic malo homines opportuni ſunt. Neque, profectò, hoc mirum eſt; cùm oculo, utpote delicatiſſimo organo, ab omni, dum vivitur, parte immineat periculum, quod etiam prudentiſſimi queant neque proſpicere, neque proſpectum ſatis cautè omni horâ arcere.

XV. *Tempus.*—In Ægypto et Syria omni anni tempore, ut certiores nos facit Volneius, auctor perilluſtris ingenioque acerrimus, ab incolis lippitur; et haud ſcio, an etiam in caèteris terrae partibus, quas fervidus ſol extorreat. In iis autem locis, quae frigore obrigent, incolarum oculi, hieme potiſſimùm et vere, inflammatione propterea capiuntur, quòd ibi maxima tunc corpori ad inflammationem ineſt proclivitas.

XVI. *Sedes.*—Quòd ad ſedem attinet, *Ophthalmia* vel *externa* eſt vel *interna*. Illa oculi palpe-

palpebras petit, et *ophthalmia tarsi* appellatur; haec laceſſit ejuſdem bulbum, et cognominatur *ophthalmia Membranarum.*

XVII. *Ophthalmia externa* corripit anteriorem duntaxat palpebrarum oram, quae plurimis inſtruitur glandulis, unde ſecernatur materia ſevoſa qua interior illarum facies illinatur, et cui nomini *tarſus* eſt.

XVIII. *Interna* verò *ophthalmia* modò adventitias bulbi tunicas, *conjunctivam*, nimirum, aut *albugineam*, tentat; modò *ſcleroticam*, aut *corneam*; modò *choroidem*, aut *retinam* *; et haud ſcio, an ipſas etiam tunicas *capſulares*, quibus lens cryſtallina et humor vitreus continentur.

XIX. Haud verò rarò utraque (XVII. XVIII.) inflammationis ſpecies ſimul exiſtit. Ea enim inflammatio, quam concipit *conjunctiva*, ipſius hujus

* Vid. CULLEN. *Firſt Lines*, § CC,LXXIX.

hujus membranae interventu facilè ſerpit uſque ad palpebrarum *tarſum :* quem tumore, rubore, exulcerationeque afficit * ; neque priùs miteſcunt haec ſigna, quàm ſoluta fuerit, vel ſaltem remiſerit, illius membranae inflammatio.

ENARRATIO SIGNORUM.

XX. Omnem ferè oculorum inflammationem, imprimis gravem, praegrediuntur capitis dolor, et haud rarò faciei etiam rubor. Poſt paulò, *conjunctivae* vaſa, quae, oculis integris, ſunt rubris ſanguinis globulis impervia, et perlucidas duntaxat ejuſdem partes tranſmittunt, rubras accipiunt particulas: quibus impleta et diſtenta, ſaepe, mirum in modum, rubent ; eò interdum uſque, ut, *conjunctivâ corneae* obductâ luci, ferè ex toto, impervià factâ, permultùm obſcuretur acies, et hebetetur viſus.

XXI.

* Vid. Cullen. § CC,LXXIX.

XXI. Vaſis ſic (xx.) ſanguine, praeter ſolitum, turgidis, ideoque acerrimo ſenſu praeditis, oculi leviſſimo etiam bulbi motu admodum dolent; ſimulque, tanquam moerore moti, ſic illachrymantur, ut genis defluat ſalſus humor.

XXII. Inflammatio, quam cepit *conjunctiva*, ſi gravis admodum ſit, ſubjectas huic membranas haud rarò petit; imo etiam ipſam interdum *retinam*, quae, hac de cauſa, acrem adeo ſenſum acquirit, ut, leviſſimae etiam incitationis impatiens, lucem quidem obſcuram tolerare nequeat.

XXIII. Palpebrae, ſive in earum *tarſis* inflammatio inceperit, ſive ex *conjunctiva* in hos poſtea ſerpſerit, plerumque exulcerantur; et tenacem effundunt liquorem, qui eas, inter ſomnum, ſic conglutinat, ut aeger manè experrectus, non, niſi ſummo dolore, queat diducere.

XXIV.

XXIV. Gravi oculorum inflammatione, imprimis ſi *retinam* affecerit, non ſolùm ipſi oculi vehementer dolent; ſed univerſum etiam caput intolerando ferè dolore excruciatur.

CAUSÆ.

XXV. Quibus cauſis provenit oculorum inflammatio, eae duobus comprehenduntur generibus; quorum primo continentur eae quibus minùs rectà, ſecundo autem ea qua rectà, ſigna efficiuntur. Illae cauſae *remotae* appellantur; haec verò, quae ſimplex eſt, *proxima*.

CAUSÆ REMOTÆ.

XXVI. Cauſarum, quae oculorum inflammationem minùs rectà efficiunt, nonnullae huic pronos tantummodo oculos reddunt; aliae, in pronis

pronis jam factis, hanc concitant. *Praedispo-nentes* illae cognominantur; hae, *excitantes*.

XXVII. *Praedisponentes*.—Quae inflammationi obnoxios reddit oculos causa, eam horum esse laxitatem, nobis verisimillimum videtur, imprimis qualem nimia incitatio effecerit. Ut hanc acciperemus opinionem, idcirco adducti sumus, quòd homines in iis potissimùm lippiunt regionibus, quibus diutinâ stimulatione oculi laxati fuerint.

XXVIII. *Excitantes*.—Oculorum inflammatio, variis, profectò, causis concitatur. Harum prima memoranda est vis ipsis oculis, sive vicinis partibus, extrinsecùs illata; contusiones, nimirum, ictus, aliaque his consimilia.

XXIX. Ad idem (XXVIII.) genus pertinent extranea, quotquot sive mole, sive figurâ, sive acrimoniâ oculum magnopere laedunt, vel irritant.

tant. Hujuſmodi ſunt pulveres; ferri lignive ſcobs; fumus; retorta inter globum oculi et palpebras cilia; demumque, pollen, quale ex frumento INDICO * evolet, et ex plurimis, forſitan, floribus, quos, in calidis potiſſimùm regionibus, ſponte fundit foeta tellus.

XXX. Eòdem, porrò, ſpectant cauſae, quae committunt, ut ſanguis in caput ſolito citatiùs uberiùſque fluat; animus, nimirum, irâ aeſtuve commotus; equitatio, ventis, imprimis Euro, reflantibus †; temulentia, quae, ex quo tempore proverbia effatus eſt ſcitus SOLOMON, cauſis, quibus rubeſcant oculi, meritò annumeratus eſt; demumque, calor, potiſſimum humidus ‡, et aër ſalinus, quae, ut a VOLNEIO § accipimus, cauſae ſunt,

* Vid. J. M. DANIEL. Diſput. Med. Inaugural. *De Ophthalmia*, GLASG. Ann. M,DCC,XCI. § XXI.

† Vid. HOM.

‡ Vid. CULLEN. *Firſt Lines.*

§ Vid. VOLN. vol. I. p. 243.

ſunt, quibus, in maritimis Ægypti Syriæque regionibus, tot incolarum lippiunt.

XXXI. Quinetiam, inflammationem perſaepe capiunt oculi nimiâ contentione. Qua de cauſa, ab iis, prae caeteris, lippitur, qui machinali, quae perexigua tractat, ſcientiâ verſantur; et qui, literarum ſtudio flagrantes, legendo ſcribendove lucubrant.

XXXII. 1. Acris, inſuper, materia, qua inquinatur irrequietus ſanguis, vel quae ſaltem, hujus interventu, ad oculos defertur ex aliis corporis partibus, lippitudinem, eam imprimis qua corripiuntur palpebrae, haud rarò concitat. Hanc ob rem, inflammationem haud rarò concipiunt oculi eorum, qui convaleſcunt e *variola* et *rubeola*, aliiſque morbis, quibus effloreſcere vel exaſperari ſumma cutis ſolet.

2. Eâdem de cauſa, haud inſolitum eſt iis lippitudine periculoſa, imo etiam caecitate, plecti,

ex quorum urinae fiſtulâ diſtillatio viroſa immiſſis temerè aſtrictoriis praeproperè ſuppreſſa fuerit *. Eheu ter et ampliùs infelices! qui turpi flagrantes libidine, interdictam et fugacem improvidi carpitis voluptatem, quam oculis luctuque poſtea luatis.

XXXIII. Ad hoc, lux nimis vivida, ſive ignicomo ſole, ſive lȳchnis, ſive fulgure, ſive demum ferrario coquinariove igne emanans, facit haud rarò, ut inflammatione oculi afficiantur.

XXXIV. 1. Alimentum, demum, inſalubre inflammationem oculorum excitare dicitur. Hac partim cauſa, ut perhibet VOLNEIUS †, hoc morbo tam ſaepe plectuntur ÆGYPTII, et SYRIATICI. Ab his enim quotidie, magna ex parte, vivitur caſeo, butyri ſero, melle, conditivis uvis, immaturis fructibus, crudiſque aliis terrâ genitis,

* Vid. F. SWEDIAUR. *Pract. Obſerv. on Venereal Complaints*, cap. XVI. § I. Edit. tert. EDIN. M,DCC,LXXXVII.

† Vid. VOLN. vol. I. p. 243.

tis, quae ventriculum inflant ſic et infirmant, ut indè detrimentum viſus capiat.

2. Prae caeteris autem hujus generis, cepae crudae, quarum magnam quotidie vim devorant, acri pollent materiâ ; quae, ut periculo compertus eſt hic auctor, ſanguinis interventu ad oculos defertur, et eos facit ardeſcere.

CAUSA PROXIMA.

XXXV. De proximâ hujus, aequè ac aliorum morborum ferè omnium, cauſâ, in varias partes diſputatum eſt. De nulla verò medicinae parte ſunt diſputationes magis infructuoſae. De nullâ, tanta, inter diſputantes, extitit captatio contentioque verborum. Ut, in irrequieto mari, undam ſubſequitur unda ; ſic, in lubrica hujuſmodi cauſarum inſtabilique doctrina, exoletas opini-

opiniones ſubſequuntur novae, ipſae brevi pòſt tempore itidem exoleturae.

XXXVI. Cùm ita (XXXV.) ſit, hanc rei noſtrae partem perfunctoriè tantùm tractare, nobis in animo eſt. In dubiis enim laborare, neque tamen labore quid ſatis exponere, eſt, ut nobis videtur, operam perdere. Quocirca, magis opus eſt, ut breviloquentes eſſemus.

XXXVII. 1. Proxima inflammationis, de qua hìc diſputatur, cauſa eſt, ut nonnullis placet, ſanguinis lentor inſolitus, ob quem hic liquor, tardè cunctanterque fluens, in exiguis oculi arteriarum furculis cumulatur, et ſigna inflammationis propria concitat.

2. Hanc verò (XXXVII. 1.) opinionem accipere propterea non poſſumus; quòd ex ipſis rebus minimè conſtat, ſanguinem, dum urget inflammatio, eſſe ſolito lentiorem; imò eſt, quamobrem

brem contrariam prorsùs opinionem verisimiliorem credamus.

XXXVIII. 1. Proxima *ophthalmiae* causa est, ut aliis, et praeclaris quidem, medicis videtur, sanguis ruber; qui, de proprio cursu derivatus, aberraverit in exiguas arterias, quae sanae perlucidis tantummodo partibus perviae sunt. Hujusmodi aberrationem, qua, interveniente nullo, dolorem aliasque inflammationis aegritudines putant derivari, *loci errorem* hi auctores nominant.

2. Quanquam ii non sumus, qui rubras sanguinis particulas, proprio derelicto cursu, in exiguas, dum urget inflammatio, arterias aberrare, quae sanae eas non solent intromittere, negemus: tamen, hujusmodi aberratione enasci inflammationem, concedere non possumus; cùm praesertim, ipsa inflammationis proles, potiùs quàm parens, videatur.

XXXIX.

XXXIX. 1. Alii auctores, imprimis CULLENUS, opinantur, inflammationem, qua tentantur oculi, aequè ac eam, qua partes quaevis aliae, effici nimio arteriarum percuſſu; quem ipſum effecerit perpetuetque *ſpaſmus*, qui extremis iiſdem arteriis aliquà ſupervenerit.

2. Verùm, contra hanc etiam opinionem, dici poteſt, quae pars arteriae ſolito enixiùs micat, in ea minimè omnium cumulari poſſe ſanguinem. Quippe enim inter omnes convenit, quò in qualibet arteria cumuletur ſanguis, opus eſſe, ut, dato tempore, hic illuc influat uberiùs, quàm illinc effluat; id profectò, quod nequit in ea accidere, quae motu micat ſolito validiore. Quòd ſi, arteriis ſolito enixiùs micantibus, nullus iis ineſſe poteſt ſanguinis cumulus; et ſi, cumulo ſanguinis nullo, nulla eſſe poteſt inflammatio; valido nimis arteriarum percuſſu minimè rectà effici inflammationem, concludere aequum videtur.

XL.

XL. 1. Alia, demum, opinio, quae nuper inolevit, et qua etiamnum hìc calet ſtudioſa medicinae juventus, indecoro ſilentio miniмè praetereunda eſt ; nimirum, cujuſlibet partis inflammationem ejuſdem arteriarum debilitate rectà effici.

2. In arteriis enim, hanc ob (XL. 1.) debilitatem, ſolito languidiùs micantibus, neque impulſum a tergo vitalem laticem ſatìs enixè propellentibus, primùm, ut iis videtur quibus arrideat haec (XL. 1.) opinio, cumulatur ſanguis ; qui, deinde, turgidis nimis illis ſeſe contrahentibus renitens, ruborem, calorem, reſilientem quaſi dolorem, aliaque deinceps inflammationis ſigna efficit.

3. Si ab aliquo quaeratur, qualis ſit haec (XL. 1.) debilitas ; utrùm, ſcilicet, ſimpliciter intelligenda ſit, an comparatè : ad quaeſitum, in hanc ferè ſententiam, reſpondebit juventus, utique

utique comparativam habendam esse; quippe cùm, de ea, ex conditione, qualiscunque interea haec fit, caeteri corporis arteriarum, fit judicandum.

XLI. Si haec (XL. 1. 2. 3.) opinio non omnes in se habet numeros veritatis, verisimilem saltem esse, nobis judicibus, concedendum est. Hac enim concessa, pleraque eorum, quae ad inflammationem pertineant, enodatè explicare minimè arduum erit.

XLII. De opinione autem ignobili adhuc et impermissa, cum medicis tum aetate tum usu peritis, quibus, quae (XL. 1. 2. 3.) diximus, ea perinfirma forsitan videantur, certamina inire, nobis minimè lubet. Si accommodatè ad veritatem dixerimus, nobis accredant: sin minùs, ignoscant; neque indignentur, nos ineditam opinionem in medium indisertè protulisse.

XLIII.

XLIII. His (XXXV.—XLII.) de cauſa, qua rectà efficitur oculorum inflammatio, preſſiùs ſcriptis, proximum eſt, ut perquiramus, quibus finiatur terminis.

TERMINI.

XLIV. Oculorum inflammatio, ea imprimis *adnatae* et *albugineae*, plerumque finitur reſolutione. Sic autem reſolvitur nullo conſtituto tempore. Modò enim, medicinâ opportunè adjuvante, unâ hebdomadâ recedit; modò, adverſante fruſtra medicinâ, per duas hebdomadas, imo etiam complures, priùs protrahitur, quàm miteſcere incipiat.

XLV. Quòd ſi ſubjacentes ipſius bulbi tunicas, potiſſimùm retinam, tentaverit inflammatio, vix, et profectò ſaepe ne vix quidem, obſtari poteſt, quò minùs, biduo propè triduove, bulbus peni-

tûs ſuppuret. Miſerandi, vae! illi ſunt, quibus, accidit tam grave malum; ſuppuratione enim finitâ, ex toto effluit ipſe bulbus, et exinde prorsùs deletur viſus.

XLVI. Orae itidem palpebrarum, ſicubi, ut glanduloſis ſaepenumero accidit, ſint inflammatione correptae, ſuppurationem ferè ſubeunt; neque rarò, quod ſupereſt aevi, ulceroſae manent, aſpectuque foedae.

SIGNORUM EXPLICATIO.

XLVII. Memoratis (XLIV.—XLVI.) *Ophthalmiae* terminis, nunc ſignorum quorundam rationem reddere, haud alienum erit.

XLVIII. *Rubor*, quo inſignitur manifeſtarum oculorum partium inflammatio, rubro efficitur ſanguine; quem, praeter ſolitum, intromittunt exigu-

exiguiſſimi arteriarum ſurculi, in quos ſanos tantummodo perlucidae ejuſdem partes influere ſolent.

XLIX. *Oculorum dolor*, de quo gravis habetur querimonia, vaſis ſanguine nimiopere repletis et diſtentis movetur.

L. *Lucis impatientes* oculi ſunt, ob ſenſum acerrimum, quo, prae inſolita vaſorum plenitudine, inſtruuntur. Cuilibet enim parti eſt ſenſus eo acrior, quo plus ei ineſt ſanguinis.

LI. *Illachrymant oculi*, partim quòd glandulae, quarum eſt lachrymas ſecernere, ob conſortium, quod, nervorum interventu, illis eſt cùm parte, quam corripuerit inflammatio, has ſolito uberiùs ſecernunt; partim, fortaſſe, quòd interdum oſcula ductuſque, quorum eſt lachrymas abſorbere et in nares tranſmittere, ſunt, ob inflammationem,

quae

quae iis aliunde ſupervenerit, lachrymis minùs pervia.

LII. Signis quibuſdam (XLVII.—LI.) perbreviter expoſitis, nunc, quae ad ſpem animum erigunt, quae metu implent, ea priùs enarrare oportet, quàm ad curationem pergamus.

PROGNOSIS.

LIII. Oculorum inflammatio rarò quidem perimit, ſed ſaepe obcaecat. Judicium igitur reſpicit magis ad viſum, quàm ad vitam.

LIV. Ubi in iis, quibus latet neque *ſiphylis* neque ſcroſula, adventitiae tantummodo tunicae inflammationem ceperunt; ubi neque multùm dolet caput, neque admodum rubent oculi et facies; bonum eſt. Ubi perlucet *cornea*, et obſcurioris lucis patiens oculus eſt; bonum iterùm.

Opti-

Optimum, demum, eſt, cùm abeſt febris; et inflammatio, medicamentis idoneis opportunè admotis aliquatenus repreſſa, recedere incipit.

LV. Contrà, cùm eorum, quibus, prae *ſiphyli* aut ſcrofula, inquinatus ſanguis eſt, oculos inflammatio corripuerit, malum eſt. Cùm haec vi ſua, per ſubjacentes membranas, in *retinam* ipſam penetraverit; cùm oculi obſcuriſſimum etiam refugiant lumen, et illachryment; multò pejus. Peſſimum autem eſt, ſi, inſuper, adeſt maxima vis febris; ſi intoleranter dolet caput, et, interdiu noctuque, excruciato aegro ſomnus procul excedit: tum enim propè eſt, ut oculi ſuppurent, et miſerrimus, vae! aeger aut alterutroque captus ſit, aut e medio tollatur.

LVI. Caeteris rei noſtrae partibus, pro noſtra facultate, abſolutis, nunc tantùm reſtat, ut ſolam, quae ſupereſt, partem, curationem nempe, qua profectò nihil, in hujuſmodi re, quicquam aut uberius

uberius eſt aut utilius, quàm pauciſſimis perſequamur.

VIA MEDENDI.

LVII. Quò inflammationem oculorum ad ſanitatem perducat medicus, ei in animo tripartitum eſſe conſilium oportet. Hunc enim in finem, opus eſt,

Primo, cauſas, ſi quae adſint, excitantes tollere;

Secundo, inflammationem reſolvere; et

Tertio, quaedam interea mala, quae moleſtum aegrum habent, mitigare.

CONSILIUM PRIMUM.

LVIII. Cauſae, quippe cùm ſint multigenae et multiformes, non uno modo poſſunt ſubmoveri.

Caete-

Caeterùm de his ſigillatim, et de modis quibus, ſuo quaeque, tollantur, tractare, nobis non conſilium eſt; eòque minùs, quòd haec curationis pars ad chirurgiam magis, quàm ad medicinam, pertinet.

LIX. Verùm, etiamſi res ita ſe habeat, non tamen alienum erit, obiter, hìc loci, animadvertere, ſi ferri micula alicui molam malleo exaſperanti, vel ferramenta fabrilia quoquomodo tractanti, in oculum reſiliverit, et infixa reſtet ſic, ut aliis modis nequeat eximi, optimum factu eſſe, magnetem modicarum virium ſemel atque iterum propiùs admovere; firmato jam per aptum aliquod inſtrumentum oculo, ne ſimul cum micula admoto magneti moleſtè attrahatur. Hoc facto, micula, extrorſum allecta et tracta, oculo exilit; vel ſaltem ita dimovetur et protrahitur, ut, niſi per ſe excidat, volſellis queat apprehendi *.

CON-

* Vid. Jo. Baptist. Morgagn. *de Cauſis et Sedibus Morbo-*

CONSILIUM SECUNDUM.

LX. Inflammatio oculorum iisdem ferè, quibus ea aliarum partium, resolvi potest. Quae haec sint, breviter dicendum est.

LXI. *Abstinentia.*—Hoc (LX.) consilio, imprimis opus est, non solùm ut aeger abstineat ab ira, calore, et stimulantibus cibis potionibusque, quae profectò omnia sanguinem, caput versus, solito uberiùs fluere faciunt; sed etiam, ut oculos sedulò tueatur a pulvisculo, polline, muscis, et vivida demum luce, quippe quibus horum inflammatio gravior reddatur.

LXII. *Exinanitio*, porrò, eundem (LX.) in finem, plerumque necessaria est. Sanguis igitur, si

Morborum, Edit. EBRODUNI in HELVETIA, Anno M,DCC,LXXIX. Lib. I. Epist. XIII. § 21, 22.

si febriat aeger, et magna vi inflammationis excrucietur, ex brachio alterutro est pleno rivo mittendus; sin minùs, ex temporum arteriis, vel juguli venis, prout res postulent, et ipsi medico libeat. Quinetiam, cucurbitulis cruentis vel hirudinibus superimpositis, sanguinem e vicinis oculo partibus elicere, interdum multùm prodest. Neque, profectò, quoties turgida vascula reddiderint *corneam* luci imperviam, alienum erit, ea scalpello scarificare sic, ut osculis effluat contentus sanguis. Hoc enim cautè facto, *cornea*, ut erat antea, perlucida evadit.

LXIII. Eodem ferè tempore, deplendum est corpus medicamentis, ex iis quae alvum leniter movent. Hujusmodi optima sunt *sales medii*; quippe cùm non solùm alvum solvant, et sic sanguinem quadantenus derivent a capite, sed etiam totum corpus refrigerando, vim inflammationis minuant.

LXIV. *Refrigeratio.*——Quinetiam, multùm

proderit ipsi oculo refrigeratoria extrinsecùs admovere. Hoc consilio, perutile erit eum subinde fovere aquâ frigidâ, vel hac cum aceto; simulque nitrum in ventriculum assumere, et acida nativa, parata ex iis quae terrâ enascuntur.

LXV. *Exulceratio.*—Necnon, ut discutiatur inflammatio, ad quam disputatur, nisi repressa jam (LXI.—LXIV.) dictis fuerit, oportebit tempora, aliasve partes vicinas, quamprimum exulcerare.

LXVI. *Astrictoria*, porrò, multùm ad inveteratam oculi inflammationem resolvendam possunt. Hac vi peculiariter ferme pollet aqua frigida ex *saccharo Saturni, albove vitriolo.*

LXVII. *Stimulatio*, demum, ipsa, imprimis si veteraverit inflammatio, multùm proficit. Quocirca, quoties opus est arterias diutinâ distentione infirmatas incitare, toties oculus *spiritu vini Gallici*

lici aquâ diluto lavandus eſt, vel alio quovis liquore, dummodo non erodat, et ei inſit vis ſtimulatrix. Eundem in finem, haud alienum erit, ut nonnullis videtur, oculo viciniſve partibus ſcintillulas *electreas* minutas elicere.

CONSILIUM TERTIUM.

LXVIII. Mala, quae maximam interea aegro moleſtiam afferunt, ideoque debent primo quoque tempore mitigari, ſunt lucis impatientia, et palpebrarum inter ſomnum conglutinatio. Quo itaque modo haec leventur, priùs dicendum eſt, quàm hanc diſputationem ad umbilicum perducamus.

LXIX. Si, prae ſenſu nimis acri, lumen etiam obſcuriſſimum refugiunt oculi, aeger debet continere ſe domi, neque in cubiculum, ubi ſit, lucem intromittere. Sin, rebus urgentibus, opus eſt,

eſt, ut foràs prodeat, oportet eum obtentu quolibet apto eos inumbrare, ne ex affulgente luce quid detrimenti capiant.

LXX. Ne noctu agglutinentur palpebrae, horâ ſomni interponendum eſt iis pauxillum unguenti. Hoc conſilio, ſi inflammatio bulbum oculi ſolum corripuerit, quo ſimplicius interpoſitum unguentum eſt, eo profectò melius. Quòd ſi *tarſum* petiverit, et de mala quavis, ut tum ſolet, labe originem duxerit; interponendum potiùs eſt id, cui inſit praeparati quid aut ex cupro aut hydrargyro.

FINIS.

Med Hist
W4
E23
1795
B.3